



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 1. Tres classes paupertatis, vel pauperum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

humilia recta, & aternos Vesta focos, fictilibus
etiamnum vasis contentos juro; nullas diuitias
taliū virorum paupertati posse praeferrī. Hæc
ab Ethnico audiant, discantque Christiani,
ne vel in paupertate fiant impatientes,
Deumque accusent; vel in fugitiuis diuitijs
nimis confidant.

Nempe dat, & quodcumq; liber fortuna,
rapitq;
Irus & est subito, qui modo Cræsus erat.

Ouid. l. 3^a
de Trist.

CAPVT XVII.

S. Bernardini, de triplice genere paupe-
rum, sententia; & Codri Cræsiq;
exempla.

§. I.

Tres classes paupertatis, vel pauperum.

Diuitias paupertatis, paulò priùs,
ostendimus Lucianum descripsis-
se, more, & ore Philosophorum.
Nunc coronidis loco, etiam Sancti alicuius
testimonio, elogia paupertatis adijciamus.
Est autem is Bernardinus, Senensis, Ordinis
Minorum, ac vrbs Aquilæ patronus, vir æ-
què sanctus ac doctus, qui tres facit seu pau-
pertatis, seu pauperum classes: prima dicitur

S. Bernar-
Senens.
to. 3. tra-
ctat de S.
beatit. 2,
1. cap. 1. 26
& 3.

Ff

volun- & 3.

*voluntaria, secunda necessaria, tertia simulata
 ria. Prima laudabilis, secunda tolerabilis, ter-
 tia detestabilis. Prima pauperum Christi, secun-
 da pauperum mundi, tertia pauperum diaboli.
 Prima cum merito, secunda sine merito, ter-
 tia cum demerito. Hunc ordinem si inuertamus,
 propemodum respondebunt hæc classes
 ijs, quæ supra ex Hugone attulimus; nisi
 quòd in prima alteraq; classe aliquid varia-
 tur. Sed tertia Hugonis, quæ præcipua est,
 omnino eadem est, cum prima Bernardini,
 verùm cum magna paupertatis commen-
 datione deducta. Omnes autem classes egre-
 giè declarant, quid sit in hoc genere fugien-
 dum, quid obuijs vlnis ab illis, qui perfe-
 ctionem amant, aut diuinæ se se providen-
 tiæ accommodare student, amplectendum.*

§. II.

Simulata, seu hypocritica paupertas.

*Simulata ergo, detestabilis, diabolica, &
 inferno digna paupertas est, seu diuitis, seu
 egentis inuiti; hoc ipso pauperis, quia cu-
 pidus & avarus est: tantum enim illi deest,
 quantum cupit habere; tantumque torque-
 tur animus eius, quantum inexplebilis a-
 uaritia suggerit esse cupiendum. Attenuatur
 fame robur eius, & inedia inuadat costas illius.*

Nihil